



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

Sacramenta novæ Legis sunt septem, non plura nec pauciora, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-UNCTIO, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. sess. 7. can. 1.*

Q. 2. *Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?*

Resp. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione, faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* *Conc. Florentin. in decreto de Sacram. & constat etiam ex traditione & perpetua praxi Ecclesiæ.*

Porro Materia Sacramenti dicitur id, quod in Sacramento minus perfectè significat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfectè significandum. Duplex est materia nempe remota, & proxima. Materia remota est res, quæ adhibetur, ut Aqua in Baptismo. Proxima est usus seu applicatio talis rei, ut Ablutio. Forma verò est aliquid sensibile quod clariùs effectum Sacramenti indicat, & determinat, ac perficit significationem materiæ obscuram, nec satis determinatam. Verba autem strictè sumpta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem præter Matrimonium, quod juxta communio rem sententiam, potest per-

fici

fici sine benedictione Sacerdotis, sed solâ Scripturâ, vel nutu exprimente mutuum consensum, quæ sunt verba virtualia, in quantum sunt expressiva consensûs, & sufficiunt in contractibus; quia, inquit, cum hoc Sacramentum consistat adæquatè in contractu Matrimoniali, quem Christus evexit adesse Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu, *regulariter* per verba de præsentî expresso. Aliud est de sex aliis, ut constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ.

*Q. 3. Qualis unio inter materiam & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

*Resp.* Requiritur utriusque coexistentia, seu similtas moralis, quæ secundum significationem verborum formæ & quantitatem actionis, per quam Sacramentum fit, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba censeantur cadere super talem materiam, & cum illa unum totale signum constituere. Sic in Baptismo requiritur talis conjunctio, ut dum Minister verba profert, censeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis sufficit, quia Sacramentum est compositum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideoque more humano; & major non est sæpè possibilis moraliter: unde si exigeretur, Sacramenta sæpè irrita forent.

Porro